

1



1281, 2  
998 9  
//

DISQVISITIO TERTIA  
DE  
GENVINO FONTE  
DISTINCTIONIS INTER  
FOETVM ANIMATVM ET INANIMATVM  
IN NEMESI CAROLINA ART. CXXXIII.

---


PROGRAMMA  
QVO  
PRAENOBILISSIMI AC DOCTISSIMI  
CANDIDATI  
PAVL. LVDOV. FERDIN. EBER  
IENENSIS  
DISPVTACTIONEM IN AVGVRALEM  
DE  
PROBATIONE CESSIONIS LEGI  
ANASTASIANAE REPVGNANTIS  
D. XIII. IAN. CICICCLXXXI.  
INSTITVENDAM  
INDICIT  
CAROL. FRIDER. WALCHIVS, D.  
ORD. IVRISCONS. H. T. PRODECANVS.

---

IENAE  
EX OFFICINA STRAVSSII,







VAE adhuc de distinctione inter foetum animatum atque inanimatum a CAROLO V. exhibita tradidi, abunde, uti spero, docent, Romanos infanti in matris utero latenti, locum inter homines nunquam concessisse ideoque nec eorum ex legibus deriuandum esse discrimen, quod ipsis prorsus sit incognitum; priusquam tamen illorum praecpta derelinquam, merito promisso meo satisfacio ac recepto atque ostendo, nec PAVLLVM quidquam aliud statuere loco satis illustri. Delibatus est ex libro quinto illius operis, quod benigniore fortuna ex parte ad nos peruenit 1); simul tamen inter fontes digestorum locum haud insimum tenuit 2) eamdemque ob causam verba eius, ad quae prouocare solent aduersarii, tam in fragmentis iurisprudentiae antieustinianae; quam in ipsis modo memoratis deprehenduntur digestis. In ipso libro sententiarum ita proferuntur:

A 2

tur:

1) libr. v. tit. XXIII. §. 14. in iurisprud. Antieustinianae ANTON. SCHVLTINGII, p. 509.

2) L. 38. §. 5. D. de poenis.



tur: *qui abortionis; aut amatorium poculum dant, et si dolo non faciant, tamen, quia mali exemplares est, humiliores in metallum, bonefiores in insulam, amissi parte bonorum, relegantur.* Quid si ex hoc homo; aut mulier perierit, summo supplicio adficiuntur 3). Eadem exhibit TRIBONIANVS et solum a PAVLLO ita discedit, vt hominem mulieri praeponat ac legat: *quod si eo mulier; aut homo perierit, summo supplicio adficiuntur.* Quum is plane hospes esset ac peregrinus in iure Romano, quem fugeret, lege Cornelia de scicariis ac veneficis vitae ciuium fuisse prospectum, quibus isto tempore infidiae innumerae interitum minarentur 4): sciendum est, PAVLLVM in iis, quae proxime antecedunt, quid celeberrima hac in lege sit sanctum, exponere atque curate omnes sceleratos homines nominare, qui poenae ibi adscriptae sint subiecti quie illam haud mereantur. Refert horum in numerum eos, qui *abortionis; aut amatorium poculum* praebeant; tantum tamen abest, ut illis impunitatem dandam censeat; vt distinguendum potius putet, utrum flagitio ipsorum mulier; aut homo perierit; an hoc haud contigerit eosue, si prius accidat, summo supplicio adsciendos credat.

3) ita verba haec exhibit ANT. SCHVLTINGIVS in iuri sprud. An-  
teiusianae p. 510. I. A. C. autem CV-  
IACIVS in rara illa editione PAVL-  
LI receptorum senentiarum, quae  
Parisiis CICOLVIII. lucem adspe-  
xit, verba profert, vti in digestis  
leguntur.

4) HENR. PETR. STIER ad le-  
gem Corneliam de scicariis et de ve-

neficciis, Lugduni, C1913C LXXXV.  
BERN. HENR. REINOLDVS in  
exercit, ad constit. Legis Corneliae  
de scicariis cum Aquilia in eius opus-  
culis, 210. FR. IVGLE RO editis,  
p. 654. FRANC. ERVING diff.  
ad legem Corneliam de scicariis et ve-  
neficciis, Lugduni, C1913C CXII.  
AC SIMON. PETR. GASSER ad le-  
gem Corneliam de scicariis, Halae  
C1913C XXXIX.

## II. nulla manu scilicet aucto-

QVM haec profert PAVLLVS, opponit hominem mulieri et per id crucem interpretibus figit. Non id negandum est ideoque nec mirum, quid sit, quod diuersas in sententias distracti sint homines litterati atque alius alio curatius eruere studuerit, quid sub homine sit intelligendum. Quantum scio, primus fuit, qui laborem hunc in se suscepit IAC. CV. IACIVS 5). Animaduertit, feminam proprie non esse hominem eumque in finem ad verba illa PAVLLI prouocat. Quum per id haud obscure docet, sub homine masculum esse intelligendum: MARQVARD. FREHERVS 6) existimat, iurisconsultum hoc loco hominis nomine foetum designare. Ab illo prorsus alienus est SCIPIO GENTILIS 7), eamdemque in sententiam discedit ZACH. HVBERVS 8), neque aliud dicendum est de FOPPIO AB AEZEMA 9). Haesitare quidem initio videtur et solum refert, quorumdam ex sententia hominem hoc loco masculum esse; sed paullo post coniecturam argumento muniendam censet nouo eoque, quod risu est dignum, quum is ad ius canonicum prouocat atque ex eo demonstrat, quod femina non facta sit ad imaginem dei 10). Si ea, quae hoc de loco tradunt CAR. HAN. FABROTUS 11) atque ANTON. SCHVLTINGIUS 12), paullo curatius per-

A 3

pen-

5) libr. VI. obseruat. atque cap. 9. tomo I. thesaur. iuris ciuilis emend. cap. 21. p. 177. ed. VHLII. ac canonici GERH. MEERMANNI

6) libr. I. verisimilium cap. 17. p. 810.

Tom. I. thesaur. iuris Romani EVER. OTTONIS p. 583.

7) parergorum ad pandectas, libr. I. cap. III. tom. IIII. thesaur. Ottone- nani p. 1275.

8) differt. libr. III. diff. VII. cap. 2. p. 571.

9) differt. iuris ciuilis libr. I. p. 510.

cap. 13. quaest. V. cauſſ. 33.

10) ex. v. tom. III. thes. iuris Romani EV. OTTONIS p. 1196.

11) not. ad. Paul. libr. v. tit. XXIII. 14. in iuriſprud. Anteiu-

ſtinanea ANTON. SCHVLHINGIUS



pendimus, illos iterum aliam in classem scribendos esse vide-  
mus, quum homines ad poculum amatorium referri putant  
ideoque eos memorari statuant, quod maribus aequae ac fe-  
minis illud preeberi possit; 10. autem IAC. WISSENBA-  
CHIVS 13) cum quibusdam aliis, hominem hoc loco *fœ-  
tum animatum* denotare, persuasum habet.

## III.

Etsi ii, qui hoc loco sub nomine *hominis* marem intelli-  
gunt, argumenta proferre soleant, quibus multum inesse videatur  
roboris; eam tamen vim haud habent, vt ipsorum in partes di-  
scendam atque deflectam a sententia, quam alibi adoptauit. An-  
te omnia merito perpendere debemus, in iure Romano haud  
interesse, utrum maris; an feminae internecio sit facta; neque  
seuerius puniri homicidium in mastulo perpetratum. Loquitur  
itaque ipsa lex Cornelia solum de hominibus, quumque  
SYLLA haud ignoraret, sub iis mares aequae ac feminas conti-  
neri, superfluum ipsi videtur, cuiuslibet sexus nominatim  
mentionem facere. Seruauit nobis ipsa eius verba VLPIA-  
NVS sequenti modo: 14) *Cupite primo*, inquit, *legis Cornelie*  
*de sicariis cauetur*, *vt is praetor iudicxue quaestioni*  
*cui forte obuenerit quaestio de sicariis eius quod in urbe Roma*  
*proprius mille passus factus sit*, *vti quaerat*, *cum iudicibus*  
*qui ei ex lege forte obuenerint*, *de capite eius*, *qui cum telo am-*  
*bulauerit hominis necandi furtive faciendi causa* *bominemue*  
*occiderit*, *cuius id dolo malo factum fuerit*. Iacet legislator  
duplici modo occasionem habuerit animaduertendi, ea,  
quae

13) *exerc. in pandectas diff. xxxi.*  
§. 5. p. 997.

14) protulit haec VLPIANVS  
libr. VII. de officio proconsulis sub

tit. *de sicariis et beneficiis*. Verba  
eius nobis seruauit auctor *colla-*  
*tionis legum Romanarum et mosaica-*  
*rum* tit. I. §. 3. p. 178. ed. 10.  
CANNEGITER.

qnae tradit, tam de maribus; quam feminis occisis valere: id tamen haud facit seque satis euidenter declarasse putat mentem suam, quum vocabulum *hominis* adhibet: quid vero aliud coniiciendum est de PAVLLO nostro, quum isto in titulo, quo memorata verba profert, legem Corneliam expavit: immo ad illam iis respicit verbis ideoque formulam: *et si non dolo faciant ex eadem mutuantur?* Quum neque in lege Cornelia; neque aliis in legibus *hominis* notio tam artis circumscripta est limitibus, vt masculum saltim denotaret 15) haud existimandum est, PAVLLVM alio modo vocabulo hoc esse usum; his autem accedit, quod CAIVS 16) clare tradat: *hominis appellatione tam feminam, quam masculum contineri.* Concludit quidem IACOBVS CVIACIVS 17) ex eo, quod verba haec desumpta sunt ex commentario eius in *leges Iuliam et Papiam Popaeam*, ante has leges verbum *hominis* solum maribus fuisse proprium et postea latorem eius extitisse potestatem; verum tamen mirandum est, quid in mentem venerit CVIACIO, quum CAIVS ex lege illa rationem modo indicatam haud deriuat, et si quoque recte se habeant, quae de uno illius legis capite eiusue verbis concidunt 18) GOTTL. HEINECCIVS 18), ex eo tamen haud liquet,


15) Loca, quibus in iure vocabulum *hominis* occurrit, sedulo colligit BARNAB. BRISCIUS. libr. VIII. de *verbis significacione, vocabulis hominis*. p. 549. ed. HEINECCIUS FREHERVS quidem loc. memorat, prouocat, vt monstret, iurisconsultus nonnunquam sub homine saltim masculum intellexisse ad verba PAVLLI proxime antecedentia, quibus de castratione loquitur hominis; verum tamen ex eo id haud

colligendum, et si ea, quae ibi exponit, de maribus saltim valerent. Quum hoc cuiilibet statim perspicuum esse deberet: non opus PAVLO fuit, ut recederet a verbis legis, quam explicaret, seque iam saltim de masculino hominum genere loqui, notaret.

16) L. 152. D. de V.S.

17) loc. memorat.

18) comm. ad *leg. Iul. et Papiam Popaeam* libr. 111. cap. v. p. 395.



quet, Augustum primum sub hominibus feminas quoque complexum fuisse, quum caueret: *Si quicunque hominum heres legatariusue vino testatore post testamentum conditum decedat conditione deficiat relictum in causa caduci esto et populo quasi caducum defertor.* Haud ponderauit porro *CIVICVS*, non legis *Corneliae*; sed *PAVLLI* potius esse verba, ex quibus demonstrare velit, a hominum consortio feminas esse exclusas huncque diu post *CAIVM* floruisse et licet libens concedam, non solum apud *PLAVTVM* 19), sed etiam apud *LACTANTIVM* 20) hominem speciatim sumi pro masculo: idem tamen haud censemendum est de iurisconsultis, qui in definiendis veris verborum notionibus multum temporis consumserunt.

### III.

Ex his quam abunde, vti arbitror, patet, falli eos, qui *PAVLLVM* ideo hominem opponere mulieri putant, quod sub eo marem intelligat: multo probabilius est, eum potius *hominis* vocabulo vti, vt, quod de homine hoc loco tradat, ad utrumque referendum esse sexum, monstreret, atque eo maiori iure statuere id possumus, quum necessitas, vbi hoc existemus, nobis non est imposita coniiciendi, iurisconsultum a genuina ac vera notione vocabuli huius recessisse hocque obseruante *MARCELLO* 21) numquam praesumendum est: per id simul sententiam amplector, quae summis viris, supra a me memoratis, placuit neque ab illa aliquantulum deflectere debeo siue cum vna eorum cohorte, *PAVLLVM* ad utrumque hominum genus eam ob caussam respicere putem, quod ipsi hoc loco de foetu sit sermo, matris in visceribus latente; siue cum alte-

19) *Cistel. act. 111. scen. 2.*  
20) *libr. 11. cap. 2.*

21) *L. 69. D. de leg. 3.*

altera hoc ideo fieri arbitremur, quod abortionis poculum solum  
feminis; amatorium autem maribus aequa ac feminis dari  
possit.

## V.

INTER iurisconsultos, qui PAVLVM hoc loco foetus, nondum in lucem editi, rationem habuisse censent, in primis nominandus est MARQVARDV FREHERVS 22) ac iam dudum idem existimau 23). Nec nego, conjecturam hanc probabilitate sua sese adhuc mihi commendare, quum antequam partus in lucem emittatur, illius genus nobis incognitum sit et quidem conuster, eum hominum in censum cadere; ad quoniam autem eorum genus sit referendum, haud definiiri queat. Memoratu itaque dignum est, quod IVVENALIS 24) iam eamdem ob caussam eum *hominis* saltem nomine designet, dum canit:

*Tantum artes huius, tantum medicamina possunt,  
Quae steriles facit atque hominis in ventre necando.  
Conducit — —*

et his accedit alia caufsa, ob quam explicatio haec similitudinem veri consequi semper mihi sit visa. Quum secundum ea, quae de effectibus philtrorum veteres tradiderunt, furor ex iis quidem; non facile tamen mors oriri posset 25), idem quoque PAVLVM censuisse, coniiciunt MARQVARDV FREHERVS 26) ac CAROL. HANNIBAL. FABROTTVS 27); vbi au-

tem

22) libr. I. verisimilium, cap. 17. rom. I. thesaur. iuris Romani Ottomani, p. 783.

23) introductione in controversias iuris, sect. I. cap. I. §. I.p. 18.

24) libr. II. Sat. vi. p. 594. seqq.

25) OVIDIUS, libr. II. de arte

amandi, §. II. 5. et libr. II. amor. eleg. X. III. §. 36. PLINIVS, libr. XXV. cap. 3. SVETONIVS, vit. Caligulae, cap. 60. ac IOSEPHVS, libr. XVIII. antiquitatum, cap. 2.

26) loc. laudato.

27) loc. memorat.

B



tem hac in re ipsis adsentiamus, solummodo iurisconsultum ad abortionis potum resipexisse, statuere oportet. Si hoc certum est atque expeditum: non potuit fieri; quin ipsi solum de muliere et eius foetu sit sermo, cuius vitae infidiae in primis strui solent per abortum; nemo tamen existimare debet, PAVLLVM foetibus quibusdam animam; antequam in lucem prodierint, tribuisse ac discri men, quod inter foetus existit animatos ac inanimatos, agnouisse, vbi hominum nomine eos designauerit. Quum poena relegationis in insulam; nisi abortus reuera esset procuratus, non cogitari potest: merito coniicere licet, PAVLLVM plane alio de casu ultimis loqui verbis ac supponere, abortum haud fuisse sequutum ac partum potius viuum ac perfectum in lucem editum; eum tamen haud multo post dece sisse eiusue mortis causam positam fuisse in poculo, quod matri ipsius esset datum, quam adhuc eius in visceribus lateret. Secundum loquendi formulam, iurisconsultis visitatam, nemo, nisi inter viuos fuerit iisque eximeretur, perire poterat 28) nullumque in iure extat effatum, in quo foetus perire dicitur. Iam CICERONIS 29) aetate iurisconsulti ita subtiliter sunt philosophati, vt negarent, filium mori posse, qui non erat natus. PAVLLVS ipse haud obscure significat, raro id, de quo iam loquatur, contingere eumque in finem eius in regula ipsi, quam format, non meminit; sed id saltim tanquam exceptionem addit; neque credendum est, PAVLLVM immemorem fuisse praecepsi illius iurisconsultorum, quod spes animantis saltim interimatur, vbi partus viuus haud nascatur.

VI.

28) BRISSON, de verb. sign. 18. tom. I. orat. part. II. p. 533.  
libr. XIV. p. 1038. ed. IO. GEORG. GRAEVII.

29) orat. pro A. Caecina cap.

## §. VI.

NEQUE vero prorsus reiicienda est coniectura ZACH.  
 HVBERI 30) ac ANT. SCHVLTINGII 31), PAVLLVM ideo  
 hoc loco hominem distinguere a muliere, quod duplicitis quo-  
 que mentionem fecerit poculi, videlicet amatorii aequae ac  
 abortionis eorumue ea sit ratio, vt posterius saltim mulieribus  
 detur hisue tantum nocere queat; prioris autem usus tam  
 in masculis, quam in feminis obtineat. Non audeo eam  
 probare cum laudato SCHVLTINGIO ex verborum ordine,  
 quem PAVLLVM seruasse sibi persuadet: *quod si ex hoc  
 homo; aut mulieri perierit, summo supplicio adscientur.*  
 Dubium adhuc esse, utrum hominem proposuerit mulieri;  
 an mulierem homini, non negari potest, quum TRIBONI-  
 ANVS verba haec ita, vt iam supra monui, exhibet, ut mu-  
 lier homini praecedat et IAC. CVIACIVS 32) in eodem ordi-  
 ne verba haec profert. Fauere quoque ille potius videtur  
 memoratae sententiae, quum etiam poculum abortionis ama-  
 torium sequatur eamdemque ob caussam isto arguento pro-  
 raus superfedeo; sed ideo, quae SCHVLTINGIVS coniicit, at-  
 tentione digna arbitror, quod PAVLLVS de duobus poculis  
 iisque, quae inter se maxime differunt, loquatur; neque id, quod  
 ultimo loco adiicit, ad vnum eorum restringit ideoque praesu-  
 mendum est, ipsius ex opinione necem oriri posse ex utriusque  
 poculi usu. Non opus nobis est, si eius castra sequamur, ut ea  
 supponamus de morte partus vix nati, quae paullo ante tra-  
 didimus; nec obstat, solum furorem ordinarie metuendum  
 esse

30) *diff. libr. III. diff. VII.*  
 p. 571.

in manibus existant, ab Ariano in  
 primis mutilata esse, vt not. ad  
 ECKHARDI bermencut. iuris, libr.  
 1. cap. VI. p. 405. copiosius ex-  
 posuit.

31) in editione IVL. PAVLLI  
 ab ipso procurata, p. 177.  
 22) Haud praetercundum est,  
 fragmenta PAVLLI; quae nostris



esse in eo, qui philtro vteretur. PLINIVS 33) nobis exemplum triste mortis adfert, quam Lucullus sibi consciuerat, quum ipsi eiusmodi poculum esset datum, neque PAVLO vbi, monet, nonnunquam fieri posse, vt, qui illud bibat, pereat, in mentem venit, ei repugnare, quod alioquin de effectu illius tradunt veteres.

## VII.

HAEC quum ita sese habeant: fallitur sine dubio 10. IAC. WISSENBACHIVS 34), vbi hoc ex loco documentum capere velit discriminis inter foetum animatum atque inanimatum ideoque extra omnem dubitationem est positum, Romanis nullo modo illud fuisse cognitum fontemque, ex quo hauist CAROLVS, alibi a me esse quaerendum; verum enimvero scriptoris angustia haud permittit, vt labore nuncio actum illum sollempnem, quo

PRAENOBILISSIMVS AC DOCTISSIMVS  
CANDIDATVS

## PAVL. LDOV. FERDINANDVS EBER

viam sibi parabit ad summos honores ipsi ab illustri iurisconsultorum ordine decretos.


vt constet, quem cursum industria illius laudabilis- que proficiendi cupiditas a prima ipsius tenerit adolescentia, verba, quibus illum nobis descripsit, exhibeo:

Iena

33) libr. xxv. hist. nat. cap. 3. 34) loc. laudato.

Iena oriundus primam vitae diem vidi XII. Calend.  
 Ian. Anno MDCLII. Patrem veneror CHRISTO-  
 PHORVM LDOVICVM EBER, Serenissimo Prin-  
 cipi de Thurn et Taxis a consiliis aulicis, nec non rei ve-  
 redariae Caesareo-Imperialis hic loci directorem, ma-  
 trem vero PAVLINAM REGINAM SOPHIAM, filiam  
 beati BVRGEMEISTER DE DEIZISAV, qui Serenissimo  
 Duci Saxo-Vinariensi aulae et regiminis a consiliis fuit.  
 Optimi bi parentes me puerum iis artibus quibus imbuī solet  
 tenera aetas, domi instituendum curarunt. Cum vero ex  
 pueris excessissim, publicis ludis me destinarunt, ita, ut  
 cum Ienae Celeberrimo BLASCHIO, doctissimoque  
 HOIERO vterer doctoribus, tum etiam in illustri, quod  
 Vinariae est, Gymnasio, clarissimo NOLDENIO ac b.  
 FRICKIO operam darem. Quibus quidem omnibus pro  
 singulari studio et assiduitate, pro eo ac debeo maximas  
 gratias ago, habeoque. Ex illorum igitur scholis eges-  
 sus, cum iam puer a Perillustri DARIESIO, tunc tem-  
 poris Prorectore Magnifico, ciuium academicorum nu-  
 mero esse adscriptus, MDCLXIX. factus sum acade-  
 miae disciplinae alumnus. Et primis quidem temporibus,  
 vt instructus satis et rite paratus ad ea litterarum studia  
 accederem, quibus vita mea proprie erat dicata, b. 10.  
 ERDM. SCHMIDII de uniuersali, quam vocant, histo-  
 ria, de rebus per Imperium Romano-germanum gestis;  
 nec non de statistica sermonibus interfui, audiui Ill.  
 SVCCOVIVM de Mathei pura praeципientem, et Excell.

MVL-




MULLERO duce rerum per Imperium gestarum seriem  
retractau. *Li* autem, quorum opera in addiscendis  
doctrinis philosophicis usus sum, Amplissimus VLRICVS  
et Celeberrimus MAIERS fuerunt, quorum ille dia-  
lecticam; hic, qui nunc Tubingae dicit, ius naturale me-  
docuit. *Hs* denique adjungendus est Celeb. BLASCHI-  
VS, qui, quemadmodum olim fuerat scholasticae vitae me-  
ae moderator, ita nunc stylī magistrum nibi se praebu-  
it. Iam vero cum ultra annum in borum, quos semper  
bonestatis ac dignitatis causa nomino, doctorum disci-  
plina permanissim, eorum scolas visere institui, qui lu-  
visprudentiam profitebantur. Iuris igitur historiam  
*Ill. WALCHIVM* exponentem audiui, quem etiam in  
Iure Germanico praeceptorem habui fidelissimum. In-  
stitutionibus autem addiscendis auctore *Ill. IO. LVD.*  
*SCHMIDIO* vacau. Pandectarum doctrinam Perill.  
HELLFELDIVS et Excell. OELZIVS tradiderunt, eun-  
demque Perill. HELLFELDIVM in Ius Criminale com-  
mentantem audiui. Transactis interim tribus acade-  
miae vitae annis, in Liuoniam me contuli atque Curlan-  
diā. Ibi septem ferme annis peractis, atque institu-  
tioni generosorum quorundam adolescentium insumis  
ante hos duos annos in patriam sum reuersus. Ab hoc  
inde tempore eam, ex qua excesseram, vitae rationem de-  
novo ingressus, pristina studia hucusque recolui. Quare  
iterum Perill. HELLFELDI de Iure Criminali et Feu-  
dali sermonibus interfui, *Ill. IO. LVD. SCHMIDIVM*

de

de Iure Germanico exponentem audiui. Controuerrias autem quae circa leges obtineant et agitentur, notas mihi redditit Ill. WALCHIUS, qui et ipse ac Excell. OELZIUS artem ex actis referendi me docuit, cuius etiam in addiscendo usu forensi diligentiam, et indefessum studium sum expertus. Ad Pandectarum autem et Iuris Canonici doctrinam Excell. REICHARDUS me instituit. Inter hos nominandus etiam Excell. SCHEIDEMANTELIUS, cuius in disciplinam me constuli, cum in Ius Publicum Germanicum, et rem statisticam commentaretur. Iam quoque in Physicis atque Cameralibus disciplinis Ill. SVCCOVIO instituendum me traxi. Ingratus autem maxime viderer et jure reprobendendus, si in commemorandis beneficiis, quae summi illi atque in aeternum colendi praeceptrors, quorum doctrina et institutione vsus sum, in me contulerunt, tacitus præterirem, nec summa laude hoc loco extollerem maximam et plane singularem benevolentiam ac voluntatem Ill. WALCHII, et Excell. REICHARDI, quorum quidem ille, vt taceam reliqua ejus de me merita, non sine maximo emolumento in numerum eorum me recepit, qui sub ipsis auspiciis disputandi arte exercitantur, nec non benigna voluntate efficit, vt a Februario mense anni CIO DCG LXXX societatis latinae collega salutarer: hic vero auctor fuit sua forque, vt judicio, cui ipse prætest academico, per anni prope tempus interessem. Quam et ipsam rem uberrimam mibi utilitatem attulisse, ingenua atque gratissima mente profiteor.

TAN-



2562

TANTA quum fuit sollertia, qua humanissimus EBBE-RVS iurisprudentiae operam dedit, non solum ante; quam iter in exteris susciperet regiones; verum etiam post felicem ad patrios lares redditum: non potuit fieri; quin nostro ordini magnam de se moueret exspectationem, quum illum adiret seque ad consequendam doctoris dignitatem examinibus subiiceret. Ita illam sustinuit, ut illustri ordini omni modo satisfaceret scientiaeque, quam sibi acquisiuit, praeclara exhiberet documenta; crastinus vero dies certamini sollempni est destinatus, quo dissertationem suam inauguralem de probatione eessonis legi Anastasiae repugnantis, sine praeside, defendet. Quum ipsi ex progressionibus, quas in legitimis disciplinis fecit ac singulari, quod habet, in disputando ingenii acumine fortunatum huius conflictus merito augor euentum animoque praeuideo laudem, quam ex illo est reportaturus: eo maiori iure magnificentum academie prorectorem, magnificentum prorectorem designatum, illustrissimum comitem, patres conscriptos venerandos, hospites omnium ordinum honoratissimos generosissimosque ac nobilissimos commilitones, meo meique ordinis nomine rogo ac contendeo, ut praesentia sua actum hunc sollemnem benigne cohonestare velint. P. P. d. XII. ian. ann. post reparatam salutem  
ccccclxxxi.



Jna, Diss., 1778-84  
X 230 9455



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-308388-p0020-6

DFG



1781, 2  
998 g  
  
DISQVISITIO TERTIA  
DE  
GENVINO FONTE  
DISTINCTIONIS INTER  
OETVM ANIMATVM ET INANIMATVM  
IN NEMESI CAROLINA ART. CXXXIII.

PROGRAMMA  
QVO  
PRAENOBILISSIMI AC DOCTISSIMI  
CANDIDATI  
AVL. LVDOV. FERDIN. EBER  
IENENSIS  
DISPVTATIONEM IN AVGVRALEM  
DE  
PROBATIONE CESSIONIS LEGI  
ANASTASIANAE REPVGNANTIS  
D. XIII. IAN. CICICCLXXXI.  
INSTITVENDAM  
INDICIT  
CAROL. FRIDER. WALCHIVS, D.  
ORD. IVRISCONS. H. T. PRODECANVS.

IENAE  
EX OFFICINA STRAVSSII.